



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Ivre Ac Potestate Romanorum Pontificum,
Imperatorum, Regum ac Episcoporum**

Alvarez Guerrero, Alfonso

Coloniae Agrippinae, 1586

VD16 A 2069

De diffidatione. cap. xlv.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63477)

In tractatu suo in volumine sexto tractatum, fol. 113. Et aduerte in materia tregue, quod si à principe, vel duce bel-
li armigeris datur passus per suam ciuitatem, armigeri 14
debent transire per viam rectam, non dantes per viam da-
mnum; aliàs impunè possunt inuadi, & offendi, ita Ange.
in l. qui sella. ff. de ser. vrba. præd. Et aduerte, quod pax,
vel tregua facta à principibus ligat etiam cohærentes, tex.
est sing. in c. j. de postula. præla. & Ioan. And. in c. ad Apo-
stolica, de re iudic. in vj. quod est verum secundum do-
cto. in l. quæ religioſis, ff. de rei vendi. siue expresse fiat
mentio de adhærentibus, siue non: quia etiam de ipsis
actum videtur. Sed tutius est iudicio meo in hodiernis
temporibus, vt omnia exprimantur; & vtinam in expres-
sis pacta, & iuramenta seruentur. Et de hoc videbis Ale-
xand. in l. si conuenierit, §. si nuda, ff. de pigno. actio. Et si
nita tregua, bellum si est iustum, exerceri potest, sine a-
lia diffidatione, vt in c. sequenti dicitur. Et si Capitaneo
gentis armorum fuit concessus transitus, intelligitur, vt
ciuili modo transeat non deuastando fructus, Ange. in
finu. de seruitutibus; sed nulla fides, pietasque viris, qui
castra sequuntur. † Et capitula pacis an debeant seruari 15
per successorem, vide Bal. in l. digna vox, C. de legi. & dic,
quod pacta, quæ fierent hodie inter Regem Francia, &
Hispaniarum, debet seruari per successorem, vt per Bal. in
d. l. digna vox, C. de legibus.

DE DIFFIDATIONE.

Cap. XLV.

SUMMARIUM.

- 1 Diffidatio, & diffidare quid sit, & in quo differat, & nu. 4. et 5.
- 2 Ad hoc vt bellum licuum dicatur inter Christianos, prius requi-
renda est diffidatio. & num. 3.
- 6 Pirata hostibus fidei, & Principis equiparantur.
- 7 Fides promissa frangenda non est, etiam morte interueniente.



Diffidatio quia debet præcedere bellum, ali-
qua de diffidatione dicamus. † Et diffidatio
est quodammodo initium belli, quæ fieri de-
bet antequam Christianus Christianum
offens

offendat, ita Ioan. And. & docto. in c. j. de homic. lib. vj. & Bal. in athen. item nulla, C. de Episc. & cleri. & Lij. xj. colum. C. de serui. & in l. iij. C. de obseq. patron. prest. Alexan. in add. ad Bart. in l. fin. de capt. dicit: † Vnum tamen nota, quod ad hoc, quod dicatur bellum licitū inter Christianos, inter alia requiritur diffidatio, allegat Ioan. And. & Archidiac. in d. c. j. de homic. in vj. Sed princeps in causanti ponderis ante diffidationem consulatur, vt per And. de lfern. in tit. hic finitur lex, in vñ. feudo. Et diffidatio facta intelligitur etiam contra complices, & subditos eius, qui diffidatur, ita Bald. in d. l. ij. & Alexan. in d. l. fina. Sed licet vassalli, vel subditi intelligantur diffidati à iure, non potest, qui iustum bellum mouet, capere spolia à vassallis inimici, si vassalli, vel subditi non prestant consilium, vel fauorem domino; nec possunt capi, ne poena excedat suos authores, vt dicitur latè in c. xlvj. infra in isto tractatu. Finita tregua, sine alia diffidatione bellū exerceri potest vt per Deoi. in c. nouit, de iudi. colum. v. & per Bald. in c. volentes, de offi. lega. & per Ang. in l. si vnus, §. si cum reo, ff. de pact. & Bal. in tit. de pace Constan. §. vassalli. & dixi in c. praceden. Sed si materia est preparata ad guerram, tamen nondum erat mota guerra, & principes fecerunt inter se treguam duorum annorum, elapso tempore † necessaria est diffidatio ad hoc, vt ille, qui aggreditur territorium alterius, non dicatur esse latrunculator, ita Bald. in d. §. vassalli: tenet etiam hoc allegando Bal. commentator quæstionum delphinatus, q. cxcix. Et dispositio facta de pace non habet locum in tregua, vt dicit Pau. de Castro in l. conuentionum, ff. de pact. Ange. in l. j. ff. de pact. facit text. in c. significauit, de iudi. † Et diffidare est licentiaré quemlibet ad offendendum, ita Bal. in l. iij. C. ad leg. Fab. ci. & Ange. in consi. xiiij. & Bald. dixit in l. si manumissori, C. de obseq. patro. prest. & Alex. post Bar. o. in l. hostes, ff. de capt. & possim. reuers. dicit, quod Christianus non potest venire ad arma, vel bellum sine monitione legitima, vel sine diffidatione, & ex eo ipso, quod persona est diffidata, bona eius diffidata cēsentur. ita Philip. Franc. in c. j. de homic. lib. vj. & postquam est facta diffidatio, & admonitio,

est

est bellum indictum: † quia diffidatio, vel admonitio nihil aliud est, quàm indicere bellum, vt per Bald. in d. l. manumissori, & etiam dicit Bald. in l. penul. C. de exe. re. iud. quòd bellica diffidatio est hostilis declaratio: quandoque tamen lex indicit bellum, & tunc non est necessaria monitio, vt C. de fur. authen. nauigia. † Et piratæ æquiparantur hostibus fidei, & principis, & possunt impune à quolibet depraedari: quia sunt ipso iure diffidati, vt per Bald. in d. authen. nauigia, facit text. in authen. cessationes, C. de sacrosanct. eccle. Et hypocritæ dicuntur hostes humani generis, & merito: vnde dignum est à cunctis publicum bellum contra eos indici, ita Alexan. in additio. ad Barto. in d. l. hostes, ff. de capti. & postl. reuer: & sic ipso iure diffidati. Et agentes bellum sine diffidatione dicuntur pro ditoriè agere. Bald. in d. authen. nulla, C. de Episc. & cleri. allegat Ioan. And. in d. c. j. de homi. lib. vj. & aduerte, quòd assassini à toto populo diffidati sunt, vt nota. in d. c. j. de homi. lib. vj. & facit text. in authen. item nulla communitas, C. de Episc. & cleri. Et pagani pacifici absque legitima causa non possunt debellari, nec depraedari à quolibet, si humiliter conuersantur, & non inferunt molestiam religioni Christianæ: sed recipiendi sunt, & tales non sunt ipso iure diffidati, vt eleganter consuluit Oldra. in consi. cclxij. Sed intellige, si pagani non sunt Agareni, quia Agarenis, vel Saracenis, etiamsi velint viuere in pace, debet eis bellum inferri: quia verisimile est, quòd quandocunq; opportunitatem habebunt, oppugnabunt Christianos, vt dixi suprâ in c. j. benè facit hoc pro habitatoribus noui orbis, si sunt pacifici, & humiliter conuersantur, & admittūt prædicatores Euangelij; aliter puniendi non sunt, vt scripsi in d. c. j. sed dic, vt dixi in c. xxxj. in isto Speculo. Sed aduerte, & benè nota, † quòd nemo potest frangere fidem promissam, etiamsi in ea seruanda mors immineret, vt legitur de Marco Regulo consule Romano, qui captus à Carthaginensibus fuit missus Româ; & quia promissit redire, ne violaret suam promissionem, & fidem, redire voluit Carthaginem, & fuit interemptus à Carthaginensibus statim, vt redijt; qui cùm sciret, quòd in reuersione sua

sua Carthaginenses eum interimerent, voluit potius mori, quam fidem violare. Et hoc iure utuntur armigeri, quando ex duobus exercitibus duo volunt pugnare data securitate à ducibus belli; & pugnant infra præsidia alterius sine suspitione iudicis, & loci, quia securitas ducis præstentis in territorio locum securum facit.

DE DVELLO. CAP. XLVI.

SUMMARIUM.

- 1 An licitè, vel iustè duellum indici possit.
- 2 Licetum est bellum iustum in duellum resolvere.
- 3 Quæ, & quot sint causæ finales pro pugna singulari ordinanda.



- 1 Icitè, vel iustè duellum indici non potest; itaque duellum, hoc est, singulare bellum indicere, peccatum mortale est; quia eligitur percussio proximi, & mors proximi absque sufficienti talis belli causa. Itaque suscipere, seu acceptare duellum, vel pro manifestatione veritatis, peccatum mortale est; quia contra rationem rectam eligitur percussio proximi, periculum vitæ, & divini iuris fit usurpatio cum tentatione Dei, & diabolica adinventio impletur. Et per eandem rationem peccant mortaliter bellantes, decem hinc, & decem inde, ut quâdoque spectaculi gratia tempore belli fit. Non enim excusantur propter tempus belli, quasi sit partialis conflictus cum hostibus; quia non habet locum finis belli in huiusmodi partiali certamine. Non enim ordinatur conflictus iste ad bellandum, vel minuendum hostium virtutem, sed ad ostentationem hominum, vel ad evitacionem ignominie suo iudicio (quasi vilis, & degeneris animi reputetur, nisi acceptet duellum.)
- 2 † Sed licitum est resolvere bellum iustum in duellum, quando pars habens iustum bellum videt se aliter succumbere; utitur enim viribus suis, ut melius potest.
- 3 † Sex autem causæ finales videntur potissimè, ad quas singularis pugna ordinatur; & prima manifestatio veritatis, quia